

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1210

**Auteur(s) :** Herbert de Charmont, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

**Bénéficiaire(s) :** Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1256, 13 juillet

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le doyen Herbert de Charmont et le chapitre de Bayeux confirment la transaction signée à Pont-Audemer, le 26 juin 1256, entre Eudes Rigaud, archevêque de Rouen, d'une part, et les évêques de Bayeux, de Lisieux et de Coutances, ses suffragants, d'autre part, sur la juridiction de leur siège et le droit d'évocation devant l'archevêque et ses officiaux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCXXII, t. 2, p. 150-154.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Herbertus, decanus, et capitulum Baiocense, salutem. Noveritis quod nos compositionem, initam inter reverendum patrem Odonem, Dei gratia Rothomagensem archiepiscopum, ex parte una, et reverendos patres Guidonem Baiocensem, Fulconem Lexoviensem, Johannem Constanciensem Dei gratia episcopos, ex altera, cuius tenor præsentibus est insertus in hæc verba : (Universis præsentes litteras inspecturis, frater Odo, permissione divina Rothomagensis ecclesiæ minister indignus, Guido Baiocensis, Fulco Lexoviensis, et Johannes Constantiensis, ejusdem gratia episcopi, salutem æternam in Domino Ihesu Christo. Noveritis quod, cum inter nos dictum archiepiscopum, ex parte una, et nos dictos episcopos, pro nobis, et ecclesiis, et subditis nostris, ex altera, controversia verteretur super articulis infrascriptis, tandem inter nos intervenit amicabilis compositio sub forma annotata : primus articulus est de executione mandatorum nostri archiepiscopi et officialis seu officialium nostrorum Rothomagensium, et receptione commissionum in posterius a nobis et eisdem officialibus faciendarum subditis dictorum suffraganeorum nostrorum ; secundus, de compulsione et receptione testium in causis ad nos vel officialem seu officiales nostros Rothomagenses devolutis, seu alias ad nos et ipsos de jure pertinentibus ; tertius est de recipiendis appellationibus interpositis ad nos, archiepiscopum et officialem seu officiales prædictos, a subditis suffraganeorum prædictorum, omissis mediis. Forma vero dictæ compositionis talis est : Subditi suffraganeorum prædictorum, in ipsorum dyocesis communantes seu existentes, scilicet, decani rurales in suis decanatibus, et presbyteri parochiales in suis parochiis et contiguis, priores non conventuales et aliæ ecclesiasticæ personæ beneficiatæ in suis locis, nostras et officialis seu officialium nostrorum Rothomagensium executiones et mandata facere, et commissiones a nobis et eisdem officialibus factas recipere tenebuntur ; nullus abbas, nullus officialis suffraganeorum prædictorum, nullus prior conventionalis, nullus canonicus, seu persona ecclesiæ cathedralis, seu vicarius deserviens majori altari ecclesiæ cathedralis, de civitatibus seu dyocesis prædictorum suffraganeorum, nullus clericus de propria familia eorumdem suffraganeorum, aliqua mandata nostra aut curiæ nostræ Rothomagensis recipere tenebitur aut exequi, nec commissionem recipere in

quocunque casu, salvo nobis et officiali seu officialibus nostris Rothomagensibus circa personas officialium suffraganeorum prædicatorum jure communi, si quis casus emerserit in quo nobis et dictis officialibus nostris Rothomagensibus jurisdictione competat contra ipsos. Item, singuli suditi (sic) suffraganeorum prædicatorum compelli poterunt ad perhibendum testimonium veritati in causis delatis ad nos archiepiscopum, et officialem seu officiales nostros Rothomagenses, per appellacionem, seu alias ad nos et dictos officiales de jure pertinentibus in dyocesibus suis et non extra, nisi agatur de crimine hæreseos, falsi, symoniae, homicidii, seu de promotione seu de amotione personæ præfectæ seu præficiendæ per electionem in loco collegiato : in quibus casibus poterunt ad nos et curiam Rothomagensem evocari, peribituri ibidem testimonium veritati ; personæ supra exceptæ dictarum civitatum et dyocesum tenebuntur perhibere testimonium, scilicet, abbates et priores conventuales in suis locis et non alibi, ceteræ vero personæ supra exceptæ antedictarum civitatum et dyocesum in civitatibus suis et non alibi, hoc salvo quod in casibus immediate exceptis, videlicet de crimine hæreseos, etc., ubi testes poterunt compelli de jure communi, omnes personæ supra exceptæ poterunt evocari ad sedem Rothomagensem, vel ibi prope, ita quod nos archiepiscopus, seu dicti officiales nostri, prædictis personis vocatis ad perhibendum testimonium expensas ministrabimus vel faciemus ministrari. Si autem aliquis de suffraneorum (sic) prædicatorum dicatur contumax, negligens, vel rebellis in hiis quæ facere vel exequi tenetur, sicut superius est expressum, per nos et officialem seu officiales nostros Rothomagenses canonice punietur, si culpabilis inventus fuerit per nos vel eosdem officialem seu officiales, per aliquem ydoneum destinatum a nobis, vel ab ipsis seu eorum altero, inquisita super hoc primitus veritate. Item, officiales Rothomagenses, qui tempore fuerint, jurabunt nobis, archiepiscopo et successoribus nostris, seu capitulo Rothomagensi, sede vacante, infra duos menses postquam fuerint in officio constituti, quod occasione negligenciae, rebellionis, seu contumaciae prædictarum, non punient scienter non puniendos, nec ecciam puniendos, ultra quod fuerint puniendi. Dies autem qua præstari debuerit hujusmodi sacramentum, significabitur competenter suffraganeis prædictis, et eorum successoribus, et capitulis dictarum ecclesiarum cathedralium, sede vacante, ut veniant vel mittant Rothomagum ad videndum præstari hujusmodi sacramentum. Si vero venerint, vel non venerint, nihilominus dictum sacramentum præstabitur ea die. Item nos, archiepiscopus, et successores nostri, et officiales Rothomagenses qui tempore fuerint, non recipiemus appellations ad nos, seu successores nostros, vel ad officialem seu officiales prædictos qui tempore fuerint, interpositas a subditis suffraganeorum prædicatorum ac successorum ipsorum, mediis vel medio prætermisis. Nos autem archiepiscopus prædictus dictam compositionem pro nobis, et successoribus nostris, et ecclesia Rothomagensi, quantum in nobis est, ratam habentes, in verbo veritatis promittimus quod quod (sic) ipsam inviolabiliter observabimus, et bona fide pro posse nostro procurabimus et efficaciter inducemos, quantum in nobis, capitulum Rothomagense quod suprascriptam compositionem ratam habeat, approbet et confirmet. Nos vero, episcopi supradicti, compositionem eamdem pro nobis, et successoribus, ecclesiis et subditis nostris, quantum in nobis est, ratam habentes, in verbo veritatis promittimus quod nos eamdem inviolabiliter observabimus, et bona fide pro posse nostro procurabimus et, quantum in nobis est, efficaciter inducemos capitula nostra et alios subditos nostros quod ipsam sæpefatam compositionem ratam habeant, approbent et confirmet ; et si in aliquem seu in aliquos subditorum nostrorum in hoc contumaces, vel rebelles, latæ fuerint suspensionis, interdicti vel excommunicationis sententiæ per dictos archiepiscopum, officialem seu officiales suos, ipsas sententias observabimus et faciemus in nostris dyocesibus inviolabiliter observari. In cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Actum apud Pontem Audomari, die lunæ post Nativitatem beati Johannis Baptistæ, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto.) ratam habemus, approbamus et, quantum in nobis est, confirmamus, in testimonium prædicatorum sigilla nostra præsentibus litteris apponentes. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, die Jovis proxima post translationem sancti Benedicti abbatis.